Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancta Christina

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

sub vespasiano. De hoc sic dicit ambrosius in prefatione: Apollinaris dignissimus presul a principe petro ravennam mittitur ut ihesu nomen incredulis nuntiaret. Ubi dum multa mirifica virtute in christum credentibus operaretur, frequenter a christo credentibus, sevis libidinibus flagellis sepe contunditur et senile iam corpus ab infidelibus horrendis cruciatibus laniatur. Sed ne de suis vexationibus fideles trepident, mirifice nomini ihesu christi signa apostolica perficit. Post tormenta puellam suscitat mortuam, visum ceco reddit et muto restaurat loquelam, obsessam a demonio liberat, contagione mundat leprosum, dissoluta morbo sanat pestifera membra, portentum simulacri simul cum templo deicit. O dignissimus admiratione pontifex qui cum pontificis dignitate apostolorum meruit accipere potestatem. O fortissime athleta christi qui etatis iam frigescente calore constanter imperium ihesum christum predicat mundi redemptorem.

De sancta xpina

Xpina quasi crismate uncta. Habuit enim balsamum boni odoris in conversatione et oleum devotionis in mente.

De nomine

Xpina nobilissimis parentibus orta in tyro ytalie a patre suo in quadam turri cum XII pedissequis collocatur et deos argenteos et aureos secum habens. Et cum pulcherrima esset et a multis in coniugium peteretur, parentes eam nulli concedere volebant, eam volentes ut in deorum cultura maneret. Ipsa autem a spiritu sancto docta ydolorum sacrificia abhorrebat et incensum diis immolandum in fenestra abscondebat. Veniens autem pater eius pedissequae dixerunt: Filia tua domina nostra diis nostris immolare contempnit sed xpianam se esse asserit. Pater autem ei blandiens ad deorum cultum eam provocabat. Cui illa: Noli me vocare filiam tuam sed eius cui sacrificium laudis decet. Non enim diis mortalibus sed deo celi offero sacrificium. Cui pater: Filia mea, ne unum tantum deo sacrificium offeras ne alii irascantur. Cui illa: Bene locutus es nesciens veritatem. Offero enim sacrificium patri et filio et spiritui sancto. Cui pater: Si tres deos adoras, cur et alios non adoras? Cui illa: Tres una deitas sunt. Post hec xpina deos confregit et aurum et argentum pauperibus erogavit. Rediens pater ut deos adoraret et ipsos non inveniens et ab ancillis quid de illis xpina fecerit audiens iussit eam expoliari et a XII viris cedi, adeo ut ipsi ministri deficerent. Tunc xpina patri dixit: Sine honore et pudore et abhominabilis deo, qui me cedunt deficiunt. Pete ut a diis tuis si vales virtutem. Tunc cathenatam eam in carcerem recludi iussit. Audiens hoc mater vestimenta sua scidit et ad carcerem pergens suis pedibus se prostravit dicens: Filia mea xpina, lumen oculorum meorum, miserere mei. Cui illa: Quid me dicis filiam tuam? Scias quia dei mei nomen habeo. Cumque nichil posset sibi persuadere ad virum rediit et que sibi responderit indicavit. Tunc pater iussit eam ante tribunal duci. Cui dixit: Sacrifica diis, sin autem multis afficieris suppliciis et mea filia non diceris. Cui illa: Magnam gratiam mihi prestitisti quia iam me non vocas filiam dyaboli. Quod autem de dyabolo nascitur demonium est. Tu es pater ipsius sathane. Tunc ille iussit carnes eius ungulis radi et membra eius tenera disrumpi. Xpina autem decerptas carnes suas accipiens in vultum patris proiecit dicens: Accipe tyranne et carnem quam genuisti comede. Tunc pater eam super rotam imposuit et ignem cum oleo sub po-

sunt, sed flamma exiliens mille quingentos occidit. Pater autem eius hoc totum magicis artibus ascribens ipsam iterum in carcerem mitti iussit et facta nocte iussit pueris suis ut lapidem grandem ad collum eius ligarent et in mare proicerent. Quod cum fecissent, protinus angeli ipsam assumunt. Christus autem ad eam descendit et eam in mari baptizavit dicens: Baptizo te in deo patre meo et in me Ihesu Christo filio eius et in spiritu sancto. Et commisit eam Michaheli archangelo qui eam ad terram reduxit. Quod audiens pater frontem eius percutiens dixit: Quibus maleficiis hoc facis ut in mari maleficia tua exerceas? Cui illa: Stulte et infelix, a Christo hanc gratiam accepi. Tunc in carcerem eam iterum misit in sic ut mane deberet decollari. Ipsa autem nocte Urbanus eius pater mortuus invenitur. Huic quidam iudex iniquus successit nomine Dius qui cunam ferream succensam cum oleo resina et pice parari fecit et Christinam ibidem iactari. Cunamque quatuor viris iactari ut citius consumeretur. Tunc Christina deum laudabat quod eam nuper renatam denuo volebat ut infantulam in cunabulis agitari. Tunc iudex iratus fecit caput eius radi et nudam per civitatem usque ad Apollinem duci. Ubi ydolo imperavit et corruens in pulverem est redactus. Quod audiens iudex expavit et spiritum tradidit. Hinc successit Iulianus qui fornacem succendi fecit et Christinam iactari. Ubi per quinque dies cum angelicis cantans et deambulans illesa permansit. Quod audiens Iulianus et magicis artibus hoc ascribens duos aspides, duas ipas, duosque colubros ad eam dimitti fecit. Sed serpentes pedes eius lingebant, aspides nil nocentes ad ubera pendebant, colubri collo se volventes sudorem lingebant. Iulianus autem incantatoribus dixit: Sum quid et tu magus es irritans bestias? Quod cum fecisset, serpentes in eum impetum fecerunt et eum protinus occiderunt. Tunc serpentibus imperavit Christina et ad desertum locum ire fecit et mortuum hominem suscitavit. Tunc Iulianus mamillas eius precidi mandavit de quibus lac pro sanguine fluxit. Deinde linguam eius precidi mandavit. Christina vero nequaquam loquelam amittens, precisam linguam accipiens Iuliani faciem et oculos eius percutiens eum excecavit. Iratus quoque Iulianus duas sagittas unam circa cor et unam in latus eius dimisit et illa percussa spiritum reddidit deo circa annos domini CCLXXXVII sub Dyocletiano.

De sancto Iacobo apostolo

Iacobus iste apostolus dicitur Iacobus Zebedei, Iacobus frater Iohannis, Boanerges, id est filius tonitrui, et Iacobus maior. Dicitur enim Iacobus Zebedei, scilicet filius, non tantum carne sed et nominis interpretatione. Zebedeus enim interpretatur donans sive donatus. Et beatus Iacobus se ipsum donavit deo per mortis martyrium, et a deo nobis donatus est in spiritualem patronum. Dicitur Iacobus frater Iohannis quia fuit eius frater non tantum carne sed et morum similitudine. Ambo enim fuerunt eiusdem zeli, eiusdem studii et eiusdem voti. Eiusdem zeli ad dominum ulciscendum. Unde cum isti duo cum Samaritani Christum non reciperent, Iacobus et Iohannes dixerunt: Vis dicimus descendat ignis de celo et consumat illos. Eiusdem studii ad discendum. Precipue enim sunt qui Christum de die iudicii et aliis venturis interrogaverunt. Eiusdem voti ad optinendum quia sessionem ad dexteram et sinistram ambo habere voluerunt. Dicitur filius tonitrui ratione sonitus predicationis quia malos terrebat pigros